

tationi sufficiens, sub pœna Episcopo scienter aliter promovendo, ut teneatur de suis fructibus eum alere: vide loca citata.

1298. Hinc clarè constat, per relatos, & alios posteriores Canones cessasse antiquos, & simul non vigere rigorem distributionis in quatuor partes, ut dictum est num. 1288. Teneri tamen Episcopos de fructibus, qui suæ honestæ sustentationi supersunt, sub mortali elemosynas elargiri pauperibus, quibus aliter subveniri non potest, ut modò dicemus.

Corroborentur dicta ex Juribus nostri temporis nunc adducendis.

QUÆRES II:

1299. An Episcopi, & Beneficarii possidentes sufficientes Patrimonium, possint licite de redditibus, & fructibus Beneficii Ecclesiastici, & proventus Ecclesie vivere juxta decemum status, ac dignitatis: Patrimonium una cum fructibus servato ad alios usus, & de eo disponere, etiam aliis donando, prout eis placuerit?

R Esp. posse. Doctores num. 1290. cit. Probatum ex Innoc. in cap. Episcopus, num. 1. de Præbend. Non credimus, quod qui habet beneficium vivere debeat de Patrimonio, sed de Altari. Vide num. 1297.

1300. Quod est conforme dicto Pauli 1. ad Cor. 9. Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducatur? Qui deservit, quoniam quis in Sacrario operatur, qua de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deservunt, cum Altari participant? Et 1. ad Timoth. 5. inquit: Dignus est operarius mercede sua.

1301. Idem dicendum est de bonis propria industria acquisitis.

QUÆRES III:

1302. De quibus possint testari?

R Esp. posse testari de bonis Patrimonialibus, & propria industria acquisitis, minimè de fructibus beneficij. Doctores cit. num. 1290.

Probatum ex cap. Episcopi 12. quæst. 1. ubi afferitur decretum Concil. Agathensis, cap. 18. Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent hereditibus suis, si voluerint, derelinquant. Quicquid verò de provisione suæ Ecclesie fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesie reservare censuimus.

Item ex Alex. III. in cap. Quia nos, de Testam. Licet Clerici de his, que paterna successione, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, & amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant; De his tamen, que consideratione Ecclesie perceptorum, nullum de jure facere possunt testamentum.

1303. Quibus accedit communis Ecclesie consuetudo, qua nedum pauperes, sed etiam divites ad Beneficia promoventur, eisque sustentantur.

1304. Dices: Beneficarii sunt Domini fruc-

tuum Beneficii: Igitur possunt de illis testari.

Respondeo negando consequentiam, quia stat, quod non possint de illis testari, cum hoc, quod sint eorum Domini; nam etiam impubes non potest de suis bonis disponere, & tamen est eorum Dominus. Ratio est, quia dominium est facultas disponendi de re quoad omnes usus à lege non prohibitos; à Jure autem Ecclesiastico in relatis locis, prohibuitur est Beneficiariis de fructibus beneficij testari, ad Clericorum cupiditatem cohibendam quoad parentes ditandos. Vide num. 1293.

QUÆRES IV:

1305. Quæ sit congrua Beneficiorum sustentatio? Congrua sustentatio, pro qua licite Beneficarius potest fructus, & proventus Beneficii Ecclesiastici applicare, non est eadem omnibus, quia à quamplurimis circumstantiis attendendis dependet; unde remittenda est arbitrio prudentis.

1306. Et quidem sub congrua sustentatione veniunt non solum necessaria, verum etiam decencia juxta conditionem status, personæ, & circumstantiarum. Bardi in Selectis, lib. 3. q. 10. scilicet. 6. & 7. Fagnanus in lib. 3. cap. Si quis sanè, de Peculio Clerici, cum multis apud ipsos.

Sub congrua sustentatione comprehenduntur donationes remuneratoriæ; etiam liberales; & gratuita; maxime de consuetudine; expensæ ad hospitandum Magnates, &c. hæc namque decet, & conveniunt decori status, felicitati gubernij, & incrementum virtutum.

1307. Hinc potest suis consanguineis, & familiaribus donare usque ad status decenciam. Ex cap. Studeat, in fin. 50. dist. his verbis: Præcipimus, ut tale beneficium sibi Ecclesie concedatur, quo & ipse, & sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solarium.

1308. Potest de Ecclesie redditibus Sorores, vel alias consanguineas dotare, si ex se, aut ex parentibus, ad quos primariò dotare spectat, satis non habeat. Fagnanus cit. ex cap. 1. de Cohabit. Cler. & Mulier.

1309. Cavendum autem est, ne quoad consanguineos, & nepotes sanguinis passio obcecet, & plus æquo excedatur. Unde (ut refert Fagnanus cit.) D. Bernardus in declaratione super illis verbis Evangelij. Ecce nos relinquimus omnia, sic ait: Vivat de Altari, ut juxta eundem Apostolum alimenta, & quibus regatur habens, his contentus sit. De Altari, inquit, vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non dixerit, non sibi de bonis Ecclesie ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, aut superflusione dispergat, non extrahat de sanctuariis Ecclesie consanguineos suos, aut nepotes, aut nepes impetui tradat: & Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 30. relatus à D. Thom. in 2. 2. quæst. 185. art. 7. ad 2. Itac est approbata liberalitas, ut proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas; non tamen, ut illos ditiores fieri velis: ex eo quod tu potes conferre inopibus.

1310. Insuper quoad alios usus, est attendenda moderatio. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 1. Episcopis monita his verbis.

Quapropter exemplo Patrum nostrorum, in Concilio Carthaginiensi, non solum jubet, ut Episcopi modesta suppellectilibus, & mensa, ac frugali victu contenti sint: verum etiam in reliquo vite genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, DEI ælum, ac vanitatum contemptum præferat.

1311. Item consideranda venit. Primò ratio loci, ubi est beneficium: Plura namque conveniunt Episcopo Urbis, quæ est Regia Principis, aut caput Regni, quàm Episcopo parvæ Urbis.

Hinc Paulus V. per Bullam in Eminentia editam 8. Aprilis 1606. facultatem concessit Clericis incolis, & Civibus Urbis Romæ; & ejus districtus infra decem milliaria, de omnibus redditibus, fructibus, & proventus, Ecclesiasticis quomodolibet eis provenientibus, in eadem Urbe, ac ejus districtu infra decem milliaria consistentibus, liberè disponendi, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate, in favorem suorum consanguineorum, & affinium, aut personarum extranearum: Atque etiam decrevit, ut illis abintestato decedentibus, eadem ad eorum hæredes abintestato proveniant.

1312. Secundò consideranda venit ratio nobilitatis personæ beneficiarii, aut dignitatis, seu qualitatis Beneficii.

Hinc in Extrav. Execrabilis Joann. 22. Ubi obtinentibus ex dispensatione plures dignitates, personam, aut beneficia curata, præcipitur, ut non possint retinere nisi unum, & simul ab hac lege excipiuntur Cardinales, & filii Regum, quibus proinde plurius incomparabilium beneficiorum retentio conceditur.

1313. Cujus rei duæ sunt rationes, una, quæ innuitur in Extrav. relata. Nam Cardinales Summo Pontifici Universalis Ecclesie inserviundo, singulis Ecclesiis profunt.

Alia; quia ipsi Eminentia dignitatis (ait Fagnanus) convenit familiares apud se habere claros, minimè sordidos, vel obscuros. Hinc (ut idem rectè observat) in prænochio litterarum commendæ beneficij, hæc solent apponi verba: Ut tuum statum juxta Cardinalatus sublimitatem decentius tenere, & expensarum onera, qua te juxta de necessitate subire oportet, facilius perferre valeas.

1314. His de causis novissimè Clem. IX. in Constit. 19. Incip. Cum à prima, edita 28. Febr. 1668. apud Bullarium Lantusæ, tom. 6. pag. 281. Privilegia S. R. E. Cardinalium testandi de bonis, ac juribus ab ipsis dum vivunt, quomodolibet acquisitis à bonis, redditibus, emolumentis, & juribus Ecclesiasticis, extendit etiam ad fructus civiles, aut naturales inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos, aut eorum patrimonio non incorporatos, atque etiam ad fructus pro affectibus bonorum, ac

jurium quorumcumque, si fructus, tam civiles, quàm naturales conductoribus, & affectuariis locati, & concessi per illos erunt percepti, quamvis termini solutionis affectum per locatores fuerint posticipate conventi. Hæc Pontifex.

QUÆRES V:

1315. An si beneficium sit tenue, & congrua sustentatione detracta, nihil pro pauperibus superfit, adhuc fructus beneficij sint dividendi?

R Elpondeo cum Fagnano in lib. 3. cap. Si quis sane, de Peculio Clericorum à num. 27. Alimenta Clerici esse anteponenda.

Probatum ex cap. Nulli Episcoporum, & s. His ita respondetur 12. q. 1. Sicut perfectiorem charitatis manente, licet res Ecclesie debeant esse communes, primo tamen sibi, & suæ Ecclesie deservientibus subministret; reliqua, que supersunt solum usibus ministrantibus; ita & præbende Ecclesiarum, eadem charitate manente, piti, & religiose possunt distribui; nec tantum res Ecclesie, ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deserviant, ut ex his, que sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat: si qua verò suis necessitatibus supersint, in communes usus Ecclesie expendat.

Et D. August. relatus in cap. Qui vult, de Pœnit. dist. 3. ait: Qui vult elemosynam ordinatè dare, & se ipso debet incipere, & eam sibi primum dare; est enim elemosyna opus misericordie, verissimèque dictum est: miserere anime tue placens Deo.

1316. Ratio est; quia alimenta ex redditibus beneficij debentur Clerico ex licentia, pauperibus ex charitate. Unde pauperibus debentur superflua. Vide à num. 410. ad 415.

1317. Concluditur, alimenta Beneficariis esse anteponenda reparationi Templi, ex C. de His, de Eccles. adif. Reparationem vero Templi, tum spectet ad Dei cultum, esse anteponendam sustentationi pauperum.

1318. Auctoritates, quæ adduci possunt in contrarium, sunt intelligendæ de fructibus, qui supersunt, detracta decenti Beneficarij sustentatione; hi quidem sunt dividendi. Ita Fagnanus cit.

1319. Conari autem debent Beneficarii, ut templa, quorum Beneficia sunt eis commendata, decedentibus suppellectilibus, & necessaria reparatione non desistantur, sed in quantum possunt de illis provideant, insuper attendere debent, ac Commendatæ, & Abbatiæ Ecclesiasticæ ipsis collatæ sint fundatæ cum aliquo onere alendi pauperes. Ac proinde recolenda sunt dicta num. 1309.

QUÆRES VI:

1320. An Episcopi, & Beneficarii non erogantes pauperibus redditus superfluos beneficiorum, aut eis ad malos usus abutentes, teneantur ad restitutionem?

R Firmant Doctores cit. num. 1290. qui tenent, non esse veros Dominos fructuum.

1321. Respondeo, peccare mortaliter, sed non teneri ad restitutionem. Doctores cit. 1290. qui tenent, esse veros Dominos fructuum beneficium.

Probatur valida, & clara auth. D. Thomæ 2. 2. quæst. 185. art. 7. apud Fagnanum cit. Si Episcopo portio separatim ab aliis est assignata, potest de illa disponere, ut de patrimonio, & peccat male dispensando contra charitatem, non contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem. Sin autem portio illius non est separata, ejus fidei divisio committitur, qui si suam portionem faciat paulo majorem, non est in mala fide, alias si esset magnus excessus, non esset fidelis dispensator, & est restitutioni obnoxius.

1322. Item in quodlibet 6. art. 12. ad 3. docet alio modo esse discurrendum de redditibus Hospitalium, ac de redditibus beneficiorum, his verbis: *Aliter dicendum est de illis Ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, & aliorum hujusmodi: & aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus ministrorum, sicut sunt præbende Clericorum, & alia hujusmodi: nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius; & ideo tenetur ad restitutionem tanquam defraudator rei alienæ. In secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam.*

Ubi (ut videtur) S. Doct. quantum ad onus restitutionis, discurrit de redditibus Beneficium, sicut de redditibus patrimonialibus; adeoque vult, quod sit eorum Dominus.

1323. Non tenetur igitur ad restitutionem, si fructus superfluos beneficiorum pauperibus non erogent, sed eis abutantur; peccant verò mortaliter contra charitatem; quia jure Naturali, & Divino tenentur pauperibus subvenire.

1324. Hinc Mendo in Epit. verb. Beneficium Eccles. num. 7. rectè addit. *Quod si ex Ecclesiasticis fructibus quis detrahât aliquid à necessariis ad sui status decetiam, id non tenetur erogare pauperibus, sicut nec id, quod lucratur pro celebratione Missæ, pro comitandis funeribus, pro conciviis, pro labore administrandi Sacramenta, pro aliisque ministeriis, & probabiliter pro distributionibus quorundam, dum hæc rotam, aut fere rotam summam reddituum non constituunt, quare, & testari possunt de illis ad usus profanos licite.*

1325. Nomine pauperum veniunt etiam Hospitalia, Ecclesie pauperes, Domus Religiosorum, & ipsi Religiosi.

QUÆRES VII:

1326. An quando Beneficium peccando dando, etiam ipsi accipientes peccent?

Respondeo, si inducant, vel excitent dantem; minime, si sine inductione donata acceptent, tenent Tamb. tom. 1. lib. 8. tom. 1. cap. 2. §. 4. num. 2.

Cum de Lugo; quia in primo casu sunt causa peccati alterius: In secundo autem non sunt causa, sed tota malitia est ex parte dantis.

Vide dicta de scandalo à num. 321.

1327. Certum tamen est, eos non teneri ad restitutionem; quia valide accipiunt.

QUÆRES VIII:

1328. An Episcopi penas pecuniarias possint sibi applicare?

Respondeo sibi, aut suæ Camera applicare, & non habere onus applicandi piis operibus, tenent Riccius, Zerola, & Barbosa apud Bardi in Selectis, lib. 3. quæst. 10. sect. 12.

1329. Dico tamen, non esse recedendum à Conc. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 3. quod sic disponit: *Sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscunque, etiam laicos, per multas pecuniarias, quæ locis piis ibi existentibus, eo ipso, quod exacta fuerint, assignentur.*

QUÆRES IX:

1330. Ad quem spectent bona à Beneficario acquisita, & meliorationes ab eo in rebus Ecclesie factæ?

Respondeo cum Pirhing. lib. 3. tit. 26. §. 3. in Comp.

Si Beneficarius nullum, aut tenue patrimonium habeat, bona ab eo empta, pura fundus, prædia, &c. ad Ecclesiam spectant, quia ex fructibus Ecclesie censetur empta. Cap. Investigandum 1. de Decalio Cleric. Potest tamen eorum fructibus uti, dum vivit.

1331. Si amplum patrimonium, dum bona emit, habet, & Beneficium tenue; spectant ad Beneficarium, ejusque hæredes; quia censeri debent ex fructibus patrimonialibus acquisita, adeoque illorum naturam sequuntur, ut in num. 1302. eo maxime, quia delictum in dubio non est præsumendum. Nisi constet, fuisse ab eo empta animo donandi Ecclesie; seu nomine Ecclesie: addit tamen Pirhing. talem posse contingere casum, sive proprio, sive alieno nomine bona empta sint, ut sint inter Ecclesiam, & hæredes dividenda, nisi certò constet, quod fuerint ex redditibus patrimonialibus empta. Cap. Inquirendum 4. hujus tit.

1332. Bona donata Beneficario, ratione ejus personæ ad ipsum spectant, uti bona patrimonialia, & quasi patrimonialia. Bona vero ei donata pro servitio Ecclesie, ad Ecclesiam spectant, sive immobilia sint, sive mobilia; unde eorum non est Dominus, sed fidelis administrator.

1333. Meliorationes factæ in fundis Ecclesie ex fructibus Beneficium ad Ecclesiam spectant, & solum Beneficarius illis uti potest, dum vivit. Si sint factæ ex fructibus patrimonialibus, debent estimari, & pretium talis estimationis transit ad hæredes, nisi constet fuisse factas animo donandi Ecclesie.

QUÆ-

QUÆRES X:

1334. An Religiosus ad Episcopatum assumptus sit Dominus fructuum?

Prima opinio affirmat esse Dominum, & de illis disponere posse, uti Episcopi Sæculares, Medicina, Palatii, Sotus, Angles, Vasquez, Hurtado, apud Bardi in Selectis, lib. 3. quæst. 10. sect. 16. Ratio est: quia in cap. Statutum 18. quæst. 1. decernitur, quod Monachus factus Episcopus possit sibi paternam hæreditatem acquirere; sibi autem hæreditatem acquirere, est esse dominum, nam ex 1. In rem actio, ff. de Rei vindicat, nullus sibi dominium acquirit nisi qui est verus Dominus.

Si igitur Religiosus ad Episcopatum assumptus potest esse dominus hæreditatis paternæ, poterit esse dominus fructuum beneficium; tota namque ratio, quæ obstat posset, est professio paupertatis Religiosæ, quæ aequè militat pro utroque casu.

1335. Secunda opinio, quam sequor, negat esse dominum, sed liberum administratorem. D. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 8. D. Bonaventura in 4. Sent. dist. 38. §. Ad illud, num. 47. Castrop. tract. 6. de Char. dist. 2. p. 8. & alii quam plures apud Bardi cit. num. 3.

Ratio est, (ex dicendis de obligatione voti) quia Religiosus per assumptionem ad Episcopatum non desinit esse Religiosus, nec est liber à tribus votis essentialibus; sed solum manet liber ab usibus, & observantiis illis regularibus, quæ obstant statui Episcopali, ejusque decetie; carentia autem domini omnium bonorum immobilium, & mobilium illi non obstat, si Episcopus liberam eorum administrationem habeat.

Ad rationem in oppositum respondetur cum Glossa ibi verb. Legitimus, quod sicut, si ante assumptionem hæreditatem paternam vendicaret sibi, non pro se, sed pro Monasterio vendicaret; ita post assumptionem ad Episcopatum illam vendicat sibi quoad usus, quoad dominium verò illam vendicat Ecclesie; & hic est sensus relati capituli.

1336. Dices cum Vasquez: Si acquireret dominium non sibi, sed Ecclesie, non potest hæreditatem illam renuntiare; ex relato autem textu dicitur, quod possit, ad non cogitur illam vendicare.

Resp. quod ly potest ibi denotat libertatem à peccato, minime libertatem exercitii; nam sicut Monachus, si ei proveniat hæreditas paternæ ante assumptionem, non potest illi renuntiare; quia potest licite pro Monasterio capaci acceptare, & Monasterio ut pote capaci, est jus jam acquisitum; ita si ei proveniat post assumptionem, non potest illi renuntiare, quia potest licite acceptare, & Ecclesie est jam jus acquisitum. Colligitur ex eodem textu, ubi infra disponitur, ut Monachus hæreditatem Monasterio restituat ante promotionem, Ecclesie verò post promotionem ad Episcopatum.

Tamb. tom. 1. lib. 8. tract. 1. cap. 2. §. 4. num. 1. citans Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 6. num. 13. 14. ait, eos, sive sint domini, sive liberi administratores, pec-

care mortaliter, si superflua in piis usus non expendunt, sed non teneri ad restitutionem; quia valide expendunt.

Et Fagnanus lib. 3. cap. Ad audientiam, de Clericis non resid. num. 18. ait: Proprium esse duplicis generis, unum importat verum dominium, & proprietatem, quale habent homines Sæculares; alterum intellegitur proprium, quoad liberam administrationem, quale habent Beneficium, & secundum hoc Clerici Sæculares, & Religiosi habentes administrationem, hoc est beneficia in titulum; acquirantur quoad potestatem dispensandi fructus beneficiorum. Card. Navar. in cap. Non dicatis, num. 10. & 11. Rota, &c. Ita Fagnanus.

RENUNTIATIO BENEFICII

1337. **E**st spontanea Beneficium cessio legitime facta. Est duplex, tacita, & expressa. Tacita fit, quando quis aliquid agit, quod ex natura rei, aut ex statuto Juris retentioni beneficium opponitur. Ut si Clericus Beneficium numeret, Religionem profiteretur, aut Militiam assumeret, &c. His namque actibus est annexa vocatio ex 1. de Cler. conjug. cap. Beneficium 4. de Regul. in 6. cap. fin. de Cler. non residentibus. Tunc namque censetur per actum facti renuntiasse.

Expressa fit per scriptum Ordinario præsentatum, in quo debet exprimi justa causa, v. gr. infirmitas acris loci beneficium, impossibilitas moralis residentia, implicatio ad negotia impossibilia, &c. vide 1341.

Renuntiatio expressa est duplex: simplex, seu absoluta, & conditionata. Absoluta est, quæ fit absque conditione, aut pacto. Conditionalis est, quæ fit sub aliqua conditione, aut pacto.

Ut sit valida, requiritur acceptatio, seu consensus Superioris cap. Admonet 3. de Renunt. Nomine Superioris non venit ille, qui præcisè potest beneficium conferre, sed ille, qui potest beneficium privare, qui scilicet jurisdictionem supra beneficium habet: Hujusmodi regulariter sunt Episcopi, etiam quoad beneficia illa, quæ sunt Papæ reservata solum quoad collationem, quæ scilicet Episcopus conferre non potest, sed potest illis privare.

Quamvis enim plura sint beneficia, & dignitates; quorum collatio ex Jure Canonico est reservata Summo Pontifici, ut Ecclesie Patriarchales, Episcopales, &c. ut in Regulis Cancellariæ Apost. quas referunt Canonistæ, & breviter Phœbeus lib. 1. tit. 13. Plura etiam sunt, quæ sunt reservata Pontifici, vel ratione suæ liberæ dispositionis, & jurisdictionis, quatenus ipse velit beneficium conferre, cujus collatio ad Episcopum spectaret; vel ratione devolutionis ob negligentiam, vel delictum inferiorum Ordinariorum.

Insuper extat reservatio mensium, & alternativæ, dantur enim menses Apostolici, in quibus quorumvis beneficiorum, aliter quam per resignationem vacantium, spectant ad Summum Pontificem. Patriarchis,

chis, Archiepiscopis, & Episcopis personaliter in suis Ecclesiis residentibus conceditur alternativa sex mensium, in quibus, si vacent beneficia libera, & ab aliis v. gr. à Patronis independentia, possint illa conferre. Ita ut Januarius spectet ad Papam, Februarius ad Episcopum, Martius ad Papam, Aprilis ad Episcopum, & sic alternatim quoad reliquos menses.

RENUNTIATIO, SEU RESIGNATIO conditionalis

1338. **N**ON potest fieri, nisi in manibus Patris; unde non potest ab Episcopo admitti sine auctoritate Summi Pontificis. Ita *Pius V. per Bullam 58. editam 1. Aprilis 1568. Incip. Quanta Ecclesie*. Talis est renuntiatio beneficii facta in favorem tertie personae, sub conditione alicujus pensionis solvendae ipsi resignanti, vel alteri. *Vide num. 1209. & 1264.* 2. Facta sub conditione, seu cum reservatione regressus, vel ingressus, aut accessus. Cum reservatione regressus fit, quando quis beneficium jam adeptum alteri renuntiat, reservando sibi jus ad beneficium redeundi, si resignatarius praemoriatur. Cum reservatione ingressus fit, quando quis post beneficium collationem sibi factam, ante possessionem illud alteri renuntiat, sub conditione, ut resignatarius praemortuus, possit propria auctoritate in ejus possessionem ingredi. Cum reservatione accessus fit, quando beneficium alicui incapaci, v. gr. puero destinatum, alteri iterum confertur, sub conditione, ut incapacitate illius cessante, v. gr. post legitimam aetatem possit ille propria auctoritate ad beneficium alteri collatum accedere, & pro se accipere. Hic ingressus, regressus, & accessus est prohibitus per Trident. sess. 25. de Reform. cap. 7.

1339. Resignatio, seu renuntiatio beneficii facta sub conditione praecise, ut conferatur alicui certae personae, absque alio addito, aut pacto ex relatis à *Castrop. part. 2. tract. 13. disp. 6. punct. 2. §. 1. num. 3.* & aliis, vocatur simplex in favorem, & consequenter quod possit ab Ordinario admitti. Alii apud Pirhing. *lib. 1. tit. 9. sect. 5. §. 4.* volunt, quod possit ab Episcopo admitti, ita tamen, ut dicta clausula rejiciatur, & habeatur pro non adjecta, nam resignans non potest Episcopum resignationem admittentem obligare, ut beneficium renuntiatum certae personae conferat, sed potest libere cui velit conferre; unde personae à resignante designatae si conferat, libere conferet, non ex vi conditionis resignantis.

Dicendum tamen est, hujusmodi resignationem faciendam esse in manibus Summi Pontificis, ad cavendam pericula, quae intervenire possunt, & ita servari stylos Curiae, & recepta consuetudo (ait *Pirhing. cit.*) fundata in Bulla B. Pii V. cit. ubi haec habentur verba.

Caveant autem Episcopi, & alii predicti, itemque omnes electores, presentatores, & patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in hujusmodi beneficiis, &

officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu resignentur, aut de his assumendis, promissio inter eos, vel etiam intentio qualicumque intercedat.

Resignatio beneficii facta ab uno certae personae sub conditione, ut illius beneficium sibi conferatur, potest ab Episcopo admitti, quia est permutatio permessa in Jure Canonico, ut infra num. 1347.

1340. Resignatione beneficii in favorem tertiae personae, auctoritate legitima facta, Superior eam admittens, non debet illi tertio beneficium conferre, nisi sit idoneus; quia resignatio illi facta includit tacitam conditionem Canonum, *si sit idoneus*.

Verum tamen est, quod in renuntiatione, atque etiam in permutatione non tenetur renuntians, aut permutans assumere digniorem; quia ex nullo jure tale onus imponitur; quoniam ipse non eligit, sed jus, quod habet, alteri cedit; unde sufficit, quod dictum assumat. *Castrop. part. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 11. num. 11.* cum pluribus.

RENUNTIATIO PURA,

1341. **S**EU simplex, & absoluta potest ab Episcopo admitti sub iustis, & certis causis. Ita B. *Pius V. in Bulla cit.*

Causae ad simplicem, & absolutam renuntiationem honestandam, & ab Episcopo admittendam requiritur ex Jure Canonico, maxime B. *Pii V. in cit. Bulla* sunt plures. 1. Si Beneficiarius sit senio confectus. 2. Valetudinarius. 3. Corpore impeditus, v. gr. si labore lepra, paralyti, &c. ita ut non valeat, ut oportet, suo satisfacere muneri. 4. Corpore vitiatum, v. gr. si sit surdus, caecus, &c. 5. Si sit obnoxius crimini, ob quod possit beneficio privari. 6. Si sit ad aliud beneficium sufficiens promotus, maxime si sit incompatibile. 7. Si sit censurus, aut penis Ecclesiasticis irretitus, quarum absolutionem, aut dispensationem facilius obtinere non potest. 8. Si capitales habeat inimicitias, aut alios, ob quod non sit in loco beneficii securus. 9. Si sit Religionem ingressus, aut matrimonium contracturus, dummodo realiter exequatur.

1342. Ubi nota. 1. Quod beneficium resignatum ob matrimonium, statim provideri potest, illo contracto. At resignatum ob Religionem provideri non potest, nisi professione facta. 2. Si Beneficiarius sit in Sacris; & sit ordinatus in titulum illius beneficii, debet hoc in resignatione exprimere. Et neque admitti potest, nisi constet, quod possit aliunde commodè vivere. *Ut in tom. 3. num. 48.* Admitti tamen potest, si fiat Religiosus.

3. Pro beneficiis residentiam exposcentibus, in resignatione exprimi debet tempus, à quo beneficium obtinuit, ex stylo Curiae: nam non solet resignatio admitti, nisi sint triennio possessus.

4. Resignatio beneficii, sive simplex, & absoluta, sive ad favorem alterius facta à Clerico in gra-

vi infirmitate constituto, si Clericus ultra viginti dies à die consensu per se, vel per procuratorem coram legitimo Superiore praestiti, non supervixerit, sed infra viginti dies, moriatur, cadit, & beneficium vacare censetur, non per resignationem, sed per obitum, *ex Reg. 19. Cam. Apoll.* Idem die de Clerico fano, qui ultra viginti dies à die consensu praestiti non supervixit, sed post resignationem, sive à Superiore admittam, sive non admittam infra viginti dies morte naturali (non fufficie civilis) mortuus est. Quod est dispositum ad vitandas fraudes, & ne de beneficiis disponatur per modum ultimae voluntatis, sicut de bonis patrimonialibus. *Pirhing. cit. sect. 3. §. 2.*

Ex recentibus igitur causis in jure expressis, atque etiam ex aliis honestis causis, utilitatem tamen, & necessitatem Ecclesiae recipientibus, insuper notatis conditionibus servatis; possunt Episcopi resignationes simplices, & absolutas beneficiorum admittente. *Vide num. 1337.*

1343. Et quamvis B. *Pius V.* in citata Bulla velit, hanc servari conditionem, ut Beneficia resignata non conferantur ipsorum resignantium, aut Episcoporum resignationes admittentium consanguineis, affinis, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum per extraneos collationum. *Castrop. part. 2. tract. 13. disp. 6. punct. 1. §. 1. num. 7.* ait: *Adverto tamen, hanc constitutionem, quoad hanc conditionem, non videri nisi receptam, sed potius à principio fuisse ab ea supplicatum.* *Garc. 11. p. de Benef. cap. 3. num. 270.* Augusti. *Barb. allegat. 69. num. 48.* & consequenter nec penes ob hanc causam ibidem impostas. Idem innuit *Pirhing. in lib. 1. tit. 9. sect. 4. §. 3.*

1344. Renuntiatio facta ex metu gravi juxta plures est ipso jure nulla. Per alios cum *Castropal. cit. §. 5. num. 4.* est ipso jure valida, sed venit rescindenda à superiore: talis tamen metus esse debet extrinsecus incussus ab alio homine ad finem extorquendi renuntiationem, juxta dicta de metu in votis, in contractibus, & Matrimonio.

Haec ratio, valida est renuntiatio facta ex metu inimicitiae in loco, ut dictum est num. 1341. aut ex metu malitiae plebis, *ex cap. Nisi cum pridem 10. de Renunt.* quia tunc renuntiatio liberè à resignante eligitur tanquam medium ad malum, quod timet, vitandum.

1345. Renuntiatio verò facta dolo, seu fraude est ipso jure nulla. *Castrop. cit. num. 7.* & *Pirhing. cit. sect. 7. §. 3.* quia metus minuit, sed fraus, & dolo omni tollit libertatem; & *ex L. 1. ff. de Dolo, fraudatori sua malitia non debet esse lucrosa. Nec debet quis alterius odio praegravari,* *ex Reg. 20. in 6.* *Vide num. 1664.*

1346. Denique. Quavis resignatio Beneficii, etiam causa permutationis facta, & cujusvis Beneficii, sive Curati, sive simplicis, &c. est publicanda intra determinatum tempus. Ita praescribit. *Greg. VIII.*

in Bulla 85. Humano vix judicio, cujus summam referet *Pirhing. cit. sect. 6. §. 5.*

Debent autem publicari à quibusvis resignantibus, etiam exemptis, etiam officialibus. Curiae Romanae, imò ab ipsis etiam Cardinalibus, si in eorum favorem beneficia aliqua resignantur; & quidem intra sex menses, si in Curia Romana resignatum sit beneficium, & hoc situm sit citra montes; si verò ultra montes situm sit, intra novem menses à die supplicationis datae, & resignatae. Si verò extra Curiam coram Ordinariis locorum resignatio facta sit, intra tres menses à die, quo collatum beneficium resignatum fuit, computandos, quod intra mensem à tempore factae resignationis, sub poena privationis juris conferendi, à collatore incurrenda, nisi intra mensem resignatum beneficium resignatario contulerit, & sub poena nullitatis factae resignationis, si forma Gregoriana constitutionis in factis his resignantibus servata non fuit.

PERMUTATIO

1347. **P**ERMUTATIO, quando duo Clerici sua beneficia cedunt, ut alter alterius beneficium consequatur. Unde involvit duplicem resignationem conditionalem. Est autem à Jure Canonico permessa, & potest ab Episcopo, seu Superiore Ordinario admitti; non est enim aliud, quam mutua permutatio beneficii proprii cum beneficio alterius.

Quatuor tamen requiruntur conditiones. Prima: Quod fiat auctoritate Superioris, quod si fiat auctoritate propria, erit nulla, & simoniaca. Nominis Superioris, veniunt Episcopi, & illi, qui jurisdictionem habent Episcopalem; licet non dignitatem, ita ut ad ipsos spectet necdum conferre, sed etiam privare. Si beneficia permutanda sint in diversis Diocesis, permutatio ab utroque Ordinario debet auctoritatem desumere.

Secunda: Ut non fiat, nisi ex legitima causa. Causae legitimae sunt superius recitatae. Unde non sufficit solus permutantis favor, aut ejus privatum temporale commodum; sed semper requiritur aliqua Ecclesiae necessitas, aut utilitas, ut qui uno loco, est minus utilis, alibi valeat esse utilis exercere. *Cap. Quastum 5. de Rerum permut. §. Si autem.*

Tertia: Ut, si Beneficia permutanda sunt inaequalia, talis excessus non compensetur pecunia, aut alio temporali pretio aestimabili, sive talis excessus sit in dignitate, aut alio spirituali, sive in fructibus, dummodo sit annexus titulo beneficii; alias erit simonia ex num. 1201.

Pariter simonia erit pacifici de aliquo summa pecuniae pro compensando aliquo onere, quod extat in beneficio permutato; sed nuda beneficia permutari debent.

Quarta conditio: Ut permutatio non fiat, nisi inter duos. Hinc simoniaca est permutatio triangularis, aut quadrangularis: v. gr. quia Petrus suum beneficium cujus beneficio Pauli permutat, ut Paulus

ius illud Nepoti Petri resignet. Nam hæc (ut ritè observat Phœbeus) non tam esset permutatio, quæ non nisi inter duos esse potest, sed contractus quidam inominatus, facio, ut facias, sive do, ut des, qui à Jure Canonico circa spiritualibus reprobatus est; eo quod in spiritualibus interdichæ sit omnis pæctio, omnisque conventio, ex cap. fin. de Pæctis.

De Beneficiis agunt Castropal. part. 2. tract. 13. Fagnanus in locis citatis, & aliis, ut in ejus indice. Phœbeus lib. 1. ex tit. 11. ad 17. Pirhing. cit.

DE JUREPATRONATUS.

1348. Juspatronatus est potestas præsentandi instituendum ad Beneficium vacans. Quod jus vendi non potest sine simonia, ex cap. de Jure 16. de Jurepatr. quia est spirituali annexum, seu ad beneficium collationem ordinatum. Vide num. 1241.

Præsentatio est legitima personæ exhibitio per Patronum facta Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet.

Juspatronatus Ecclesiæ, Beneficii, aut Capellæ non acquiritur, nisi per ejus novam foundationem, constructionem, aut per ejus jam erectæ competentem dotationem de propriis bonis, ex Trid. sess. 14. de Reform. cap. 12. Unde Gloss. in cap. Pia mentis 26. 16. quest. 7. assert verum.

Patronum faciunt Dos, Adificatio, Fundus.

Omnino tamen requiritur assensus Diocessani, sine quo Juspatronatus non acquiritur. Ex cap. Nobis 25. de Jurepatr.

A dicta lege Trident. sess. 25. de Reform. cap. 9. excipit, ut sequitur: Exceptis Patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus: & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, alioque sublimes, ac supremos Principes, jura imperii in dominis suis habentes, pertinent, & quæ in favorem Studiorum generalium concessa sunt.

1349. Juspatronatus dividitur in Laicum, Ecclesiasticum, & Mixtum: Laicum dicitur, si fundatio, constructio, aut dotatio sit facta ex bonis propriis patrimonialibus, Ecclesiasticum, si sit facta ex bonis Ecclesiæ. Mixtum, si sit facta partim ex bonis patrimonialibus, partim ex bonis Ecclesiæ, seu quod ex Patronis Ecclesiasticis, & laicis coalescit. Vide n. 1350.

1350. Patrono plura competunt jura. 1. Competit præcipuus locus in Ecclesiæ. 2. Onus, & officium Ecclesiæ, ejusque bona tuendi, & protegend. 3. Jus præsentandi ad Beneficium vacans. 4. Quod si ipse, aut ejus filii ad summam inopiam pervenerint, debeant ex bonis Ecclesiæ à se fundata sublevari, & sustentari. Ex relato cap. Nobis.

Quæ jura Glossa in cit. cap. Nobis, his versibus comprehendit.

Patrono debetur honor, onus, utilitasque:

Præsent ut præsit, defendat, alatur egenus.

Patrono Ecclesiastico conceditur tempus sex mensium ad præsentandum, laico verò tempus quadrimestre à die notitiæ vacationis beneficium, intra

quod, si præsentare negligat, devolvitur collatio ad Superiorem illum, ad quem institutio pertinet. Ex cap. unic. de Jurepatr. in 6.

Pariter collatio devolvitur. 1. Si Patroni sint plures, & intra dictum tempus de persona instituenda non concordaverint. 2. Si persona à majori parte Patronorum præsentata, repugnantibus aliis, non possit sine scandalo substitui; tunc namque potest, & debet Prælati, ut melius secundum Deum judicaverit, Ecclesiæ providere. 3. Si de Jurepatronatus contingat lis, & intra dictum tempus non fuerit definitum, cui competat. Ex cap. Quoniam 3. de Jurepatr. Idque provisum est, ne Ecclesiæ diu maneat legitimo Rectore destituta, & ne Beneficia diu suspensa maneat in Ecclesiæ perniciem. Vide num. 1274.

1351. Episcopus non tenetur monere Patronum de Beneficiorum morte, si Patronus potuit scire; tunc enim ad ipsum Patronum spectat curare de usu sui juris.

E contra Mendo in Epi. verb. Beneficium, num. 4. addit:

Quod si Beneficiarius distans decedat à vita, ejusque mortem solus Episcopus sciat, & non moneat Patronum, qui eam non potuit scire, & transant quatuor menses designati Patronis laicis ad præsentandum, & sex menses designati post obitum Beneficarii Patronis Ecclesiasticis; adhuc non pertinet provisio Beneficii de jure devoluto ad Episcopum, sicut perimeret, nisi adesset ea circumstantia; nam Patrono nequit tunc imputari omisio præsentandi. Quod si Episcopus rectè provideat de jure devoluto Capellaniam, & in ejus institutione injungatur, conferendam fore personæ ex tali loco, familia, aut sanguinis, non poterit pro libito eam aliis conferre.

1352. Hoc est discrimen inter Patronum Ecclesiasticum, & laicum ad præsentandum; quod Ecclesiasticus, postquam aliquem præsentavit, non potest intra suum tempus alium præsentare; potest verò Patronus laicus. Ex cap. Cum antem 24. Pastoralis 29. de Jurepatronatus. Et hæc potuit esse ratio; quia in Ecclesiastico præsumitur cognitio idoneitatis, & morum præsentati, non sic in laico. Hæc autem limitatio præsentationis in Ecclesiastico compensatur per concessionem longioris temporis, ut diligentius super idoneitate præsentandi perquirat, cum variare non possit.

Quod si Patroni sint duo, unus Ecclesiasticus, hoc est jure Ecclesiæ, & alter laicus, hoc est jure laicali, ut in num. 1349. tunc laicus variare potest, & simul sex menses habet ad præsentandum. Habet sex menses ad præsentandum, ob communionem cum Ecclesiastico, & dignius ad se trahit minus dignum: potest variare, ob privilegium, quod per se habet, cujus commodum sentit etiam ipse Patronus Ecclesiasticus, ob communionem cum socio privilegiato in re communi, & ne privilegiato societatis non privilegiati præjudicet.

1353. Præsentatio fieri debet de persona idonea.

nea. Si sit de indigno, & in ea perstitatur, liberè potest Superior Beneficium personæ idoneæ conferre; quia præsentatio indigni est præsentatio nullius, & se habet toto legitimo tempore pro non facta. Colligitur ex cap. 2. de Translat. Episc. & ex cap. Tunc 12. de Cler. non resid.

Præsentatus debet à Superiore examinari super idoneitate. Et reperitus idoneus, debet ad Beneficium institui, ita ut si Episcopus illum instituire negligat, & absque causa legitima, sine Patrono, Beneficium alteri conferat, collatio est ipso jure irrita. Panorm. in cap. illud 5. de Jurepatr.

1354. Non potest Episcopus malitiosè repellere præsentationem à Patrono factam, ad effectum, ut alium præsentet. Et tunc, si Patronatus alium præsentet, valida est institutio secundo præsentati, sed Episcopus in pœnam teneretur ei, quem recusavit, de alio competenti Beneficio providere, ex cap. Pastoralis 29. de Jurepatr.

Si verò Patronus laicus ex sua libertate plures præsentaverit, liberè potest Episcopus, quem maluerit instituire, si sint æquè digni; per hoc namque non læditur jus Patroni, quia per variationem nominationis non censetur priorem revocare, sed priori aliam cumulare. Ex Cap. Cum autem 24. de Jurepatr. Quod si, non sint æquè digni, tenetur Episcopus instituire digniorem: ita probabilius cum Castrop. part. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 9. num. 3. & aliis, vide à num. 1358.

1355. Si persona à Patrono laico præsentata in examine non reperiat idonea, & Episcopus benignè ei indulgeat, ut melius se præparet, & redeat ad secundum examen; tunc Patronus id sciens potest alium intra tempus legitimum præsentare sub conditione, ut hic instituat, in casu quo prior idoneus non reperiat. Et hoc pacto jus suum servat illæsum, nam aliàs Episcopus, quadrimestre elapso, supposita incapacitate præsentati, liberè posset alium instituire, ut in num. 1350. Nec tenetur Episcopus, Patronum monere de incapacitate præsentati, sed posset liberè uti jure suo.

1356. Non potest Patronus præsentare se ipsum cap. Per nos 26. de Jurepatr. Potest tamen præsentare proprium filium. Panorm. in cap. Consulit, quem plures sequuntur; quia pater, & filius, solum per solam juris fictionem censentur una persona, at re ipsa sunt due personæ.

1357. In Jurepatronatus hæredes succedunt per stirpes, non per capita. Et sic, si Petro Patrono succedant duo filii Joannes, & Franciscus, & his defunctis, succedat unus filius Joannis, & duo, aut plures filii Francisci; hi duo, aut plures filii Francisci succedunt, minimè ut tot Patroni; sed ut unus Patronus, in Jure stirpis, nempè sui patris Francisci.

QUÆRES:

1358. An Patronus teneatur præsentare digniorem? Respondeo cum Castrop. part. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 7. Si Patronatus sit Ecclesiasticus, Patronus in Beneficiis Curatis, tenetur præsentare digniorem. Ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform. his verbis.

Meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernanda idoneos promoveri studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, sed humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

In Beneficiis verò simplicibus, si Patronatus sit Ecclesiasticus, non tenetur Patronus præsentare digniorem, quia nullibi extat hoc onus.

1359. Si Patronatus sit laicalis, Patronus, si vis in Beneficiis simplicibus, si vis curatis, tenetur præsentare dignum, sed non tenetur præsentare digniorem. Constat, quia Conc. Trid. in tali præsentatione non exposcit concursum, ex quo videtur innuere, quod sufficit, si præsentetur dignus, & eligatur. Imò hoc clarè insinuat sess. 24. de Reform. cap. 18. his verbis:

Peracto deinde examine, veniuntur, quocumque ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiæ gubernandam opportunis, ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit; atque illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si verò juspatronatus Ecclesiasticus erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertinet, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatore judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituat. Cum verò institutio ab alio, quam ab Episcopo erit faciendæ; tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quoad si juris Patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus fuerit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus reperitus fuerit, admitti.

1360. Præsentatus tamen semper debet ab Episcopo examinari pro idoneitate comprobanda. Quod est verum, etiam si institutio sit faciendæ ab inferioribus. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 9. his verbis:

Ad hæc licet Episcopo, præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertinet, ab Episcopo tamen juxta alias statuta ab hac S. Synodo, examinentur; alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit, & inanis.

De Jurepatronatus agunt Castrop. part. 2. tract. 13. disp. 2. Anton. à Spir. S. tom. 1. tract. 4. disp. 4. sect. 22. Fagnanus lib. 3. sub hoc tit. Pirhing. in Com. lib. 3. tit. 38. Phœbeus lib. 1. tit. 15.

DE PENSIONIBUS, ET PRÆSTIMONIIS.

1361. **P**ensio est Jus præcipiendi fructus certos, ex Beneficio alieno, autoritate legitima, ad tempus, iusta de causa concessum. Hinc non est Beneficium, cum hoc sit perpetuum, & detur in titulum, non sic pensio unde ex *Trid. sess. 21. cap. 2. de Reform.* non potest quis ad pensionem ordinari, ut in *tom. 3. num. 48. ad 50.*

Pensio ex dictis *num. 509.* est duplex: laica, & Clericalis. *Laica* est, quæ datur titulo temporali, nimirum ob aliquod temporale obsequium, aut officium præstitum, aut præstandum, v. gr. ob pulsandum organum, ob canendum figuratè in choro. *Ant. à Spir. S. 3. part. Direct. Confess. de Prac. Decal. tract. 4. disp. 4. sect. 21. num. 335.* propter senectutem, pauperatam, &c. *Laica* erit, si detur laico, sive Clerico, si titulus sit temporalis; materialiter enim tunc se habet, quod pensionarius sit Clericus. *Vide num. 1380.*

1362. Clericalis est, quæ datur soli Clerico titulo Clericali, quæ est duplex, una, quæ datur Clerico ob aliquod spirituale munus exercendum, quæ dicitur simpliciter spiritualis; v. gr. ad recitandum Officium. Pro munere Coadjutoris Episcopi, Concionatoris, Visitatoris, &c. Alia, quæ datur ob aliquod temporale motivum, puta senectutem, pauperatam, &c. sed exigit, ut pensionarius sit Clericus; & hæc dicitur pensio mixta.

Ad pensionem Clericalem requiritur septennium completum; quia requiritur Clericatus; seu prima Tonsura. *Fagnanus lib. 1. cap. cum in cunctis, de Elect. num. 98. Vide tom. 3. num. 21.*

1363. Pensionem super Beneficiis imponere potest Papa, quia ad ipsum spectat plena Beneficiorum dispositio, *cap. de Præbend. in 6. Expofcit tamen iustam causam, ut licite imponat, ne dissipator appareat, sed administrator.*

1364. Cæterum, stando in jure Canonico, nullus inferior Papa, potest super Beneficiis pensiones imponere.

1365. Et quavis possit Episcopus, vel Judex delegatus pensionem imponere in causa transactionis, *ex cap. Nisi 21. de Præbend.* nimirum in casu, quo super eodem beneficio sit jus dubium, & lis inter duos Clericos; tunc namque Episcopus ad componendam litem, potest uni Beneficium conferre, cum onere, ut alteri pensionem solvat. Id tamen imponi non debet, nisi ad tempus, videlicet, durante vita Beneficarii, ut vult Com. aut durante vita Pensionarii, ut docet Panorm. apud *Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 4. disp. 4. sect. 27.* taliter quod non beneficium, sed sola persona beneficiarii maneat onerata, & hoc pacto non sit factio beneficii quoad fructus; nam pensio morte Beneficarii, aut Pensionarii extinguitur. Non possunt autem colligantes id propria autoritate præstare sine consensu Episcopi;

quia esset simonia, cum pensio sit rei spirituali annexa.

1366. Imò, quamvis plures Doctores apud Pirhing. in *Com. lib. 3. tit. 12. §. doceant,* posse Episcopum in quibusdam causis specialibus esse iusta, & necessaria causa, vel ob evidentem Ecclesie utilitatem pensionem imponere: hoc tamen docent eum limitationibus. 1. Ut non imponat in perpetuum, aut cum facultate transferendi ad alterum, sed durante vita pensionarii. 2. Ut non imponat præcisè in favorem alterius, aut conferendo beneficium cum pacto pensionis solvendæ, quod simoniam saperet; sed ob Ecclesie utilitatem, aut necessitatem. Ita Pirhing.

1367. In his igitur casibus non Beneficium, sed Beneficario censetur pensio imposita. Et inde remanet, quod nullus inferior Papa possit pensionem imponere, loquendo de pensione in ipso beneficio constituta; quæ quidem est servitus ipsi beneficio imposita, adeoque perpetua, quæ non Beneficarii morte finitur, sed transit ad successorem.

1368. Impositio, seu reservatio pensionis fieri potest tam ante, quam post Beneficii collationem, sed regulariter fit, cum Beneficium confertur. Semper tamen attendi debet, ut simoniæ periculum vitetur.

1369. Nam sive in præsentatione, sive in collatione Beneficii pacto de pensione solvenda sine autoritate Papæ est simonica. *Ex cap. Tua nos 34. de Simonia. Cap. final de Præb. & cap. Si quis objecerit 7. 1. quest. 3.* Ubi omnis pactio, & contractus onerosus circa beneficia prohibetur, & præcipitur, ut simpliciter conferantur. Ibique additur ratio; quia *quisque horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum derelinquit.* Vide à *num. 1201. ad 1204. & 1209.*

1370. Hinc fit, quod Patronus, nedum non possit sine autoritate Papæ, absque simoniæ labe pensionem imponere, sed neque aliquid pro præsentatione recipere, *ex cap. 16. de Jurepatr. ob rationem de num. 1225.* Quia de causa Princeps in præsentatione quam facit Pontifici, proponit simul pensionem; quam cupit imponere, & liberum consensum ipsius promovendi.

1371. Pariter Episcopus ipse Beneficium conferendo, stando in jure communi, non potest sibi partem fructuum Beneficii retinere; quia Beneficia sunt sine diminutione conferenda. *Tit. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.*

1372. At potest Episcopus de consensu Capituli redditus Beneficii vacantis, aut partem, ob iustam, & necessariam causam ad tempus reservare, puta ad solvenda Episcopatus debita, ad fabricam Cathedralis, aut ad aliam communem causam. Sed non potest illos reservare directè in sui, suæ mensæ, aut mensæ Capituli utilitatem: ita ibi.

1373. Subdit Pirhing. in *Com. lib. 3. tit. 12. §. 1. Quod si tamen consuetudo alicubi vigeat, ut ex primi anni fructibus Beneficiorum, in Diocesi existentium,*

ad augendos Episcopi redditus reservetur aliquid; observandum hoc est, cum nullibi clara hujus rei prohibitio sit, neque ulla simonia sit species, & multam etiam probabilitatem ex annatis Pontifici solvendis trahere possit.

1374. Pensionarius per se, & aspectu jure communi, tenetur ad solvenda onera Beneficio Ecclesiastico annexa; pro rata tamen pensionis. *Ex reg. 77. Juris in 6. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.*

1375. Pensio, si sit imposita Beneficio, eo vacante, & vivente pensionario, est solvenda ab administratore Beneficii. Imò si Beneficiarius aliquas annualitates omisit solvere, in quantum illas ad usus privatos consumpsit, onus eas solvendi transit ad hæredes illius, si aliquid ex ejus fructibus ad ipsos pervenit; quod si nihil hæredes perceperunt, peti possunt à Beneficario successore; quia onus est reale, & impositum Beneficio, adeoque cum eo transit pensionario vivente. *Vide num. 1365.*

1376. Pensio cessat, & extinguitur. 1. Per mortem pensionarii. 2. Per matrimonium à pensionario contractum de præsentati, si pensio sit Clericalis: vel per promotionem ad Episcopatum, professionem religiosam, vel per assumptionem militiam; quia pensio æquiparatur Beneficio. 3. Si pensionarius liberè pensionem in perpetuum remittit.

1377. Pensio Clericalis non potest vendi sine simoniæ labe, *ex Bulla Pii V. Bene verò pensio laicalis. Tancr. tract. 2. lib. 4. d. 20. num. 2. Castrop. d. 3. de Simonia, part. 13. num. 7. Anton. à Spir. S. part. 3. de Prac. Decalogi, tract. 4. sect. 25. num. 3. & alii apud ipsum.*

1378. Ratio primi; quia pensio Clericalis habet annexum titulum spirituales; nam est jus percipiendi fructus ob officium spirituale, & saltem obligat ad recitandum Officium Virginis. *Vide num. 1361.*

Ratio secundi; quia pensio laicalis non est annexa titulo spirituali, nec ex parte finis, nec ex parte subiecti.

1379. *Nec obstat* (ait Anton. à Spir. S.) *quod illa pensio extracta sit ex aliquo titulo spirituali, nempe ex Beneficio, ad hoc ut sit spiritualis. Nam etiam tertie Decimarum Regi concessa, ex tracta sunt ex Beneficiis, & tamen, quia ad nullum officium spirituale ordinantur, vendi possunt, & de facto quotidie venduntur.*

Adde, pensionem non extrahi ex Beneficio prout dicit munus spirituale, sed prout importat fructus temporales.

1380. Neque obstat, quod pensionarius sit Clericus, si titulus sit laicalis, quia id materialiter se habet, *ex num. 1362.* Unde *ex num. 508.* non tenetur talis Clericus ad recitandum Officium Virginis, nisi pensio sit ei data ut Clerico, nempe titulo Clericali, seu spirituali, ut expresse constat ex *Bulla B. Pii V. incip. Ex proximo, 20. Septembris 1571.* his verbis.

At quicumque pensionem fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, eum modo prædictis ad dicendum Officium parvum B. Mariae Virginis decernimus obligatum, & pensionem fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

1381. Si tamen Beneficiarius pensionem propria autoritate redimat, simoniam non committit, *Castrop. cit. num. 10. Tancr. tract. 2. lib. 4. dist. 20. num. 21. Anton. à Spir. S. cit. num. 339. & nonnulli apud ipsum, contra Nav. Satum, & alios.* Quia redemptio pensionis non est emptio alicujus juris spiritualis, sed extinctio debiri temporalis; Imò est quædam anticipata solutio, per quam non tollitur, nec dissolvitur jus, quod pensionarius habet ad recipiendos fructus; sed perficitur, & completur. Adeoque, qui pensionem redimit, non emit jus pensionarii ad fructus, sed anticipatè ei fructus, ad quos habet jus, solvit. Solet autem autoritas Pontificis ad redemptionem pensionis intervenire ob majorem securitatem, & ex stylo Curia.

1382. Illud certum est, quod qui ex legitima licentia resignat Beneficium cum onere pensionis, non potest facere pactum, ut constituta pensio postea redimatur; quia tale pactum, & onus cum sit pretio æstimabile, simoniam importat. *Anton. à Spir. Sanct. cit. num. 339.*

1383. Ex his colliges, quod aliud sit vendere pensionem, & aliud vendere fructus pensionis; nam vendere pensionem est vendere jus ad fructus, quod in pensione Clericali habet titulum spirituales annexum, adeoque sine simoniæ labe vendi non potest, ut in *num. 1361. & 1378.* Vendere autem fructus pensionis est vendere rem purè temporalem, quæ quidem potest sine simonia pretio temporali emi. Et jus, quod confurgit in emptore ad illos fructus, non est jus spirituale, aut cui sit titulus spiritualis annexus sed est jus omnino temporale confurgens ex contractu materiali, & civili emptiois: non est inquam jus pensionarii, sed emptoris, qui proinde ut emptor fructus pensionis colligit, & recipit nomine pensionarii.

1384. Hac de ratione Beneficiarius ipse, sine simoniæ labe, fructus Beneficii quotannis, imò etiam sua durante vita vendit; non enim vendit titulum, & jus Beneficii.

1385. Eadem pariter dicenda veniunt de Præstimoniis, quæ titulo spirituali dantur. Nam præstimonia sunt quasi pensiones quadam à pinguibus beneficiis separate pro sustentatione pauperum Clericorum, ut in Clericatu proficiant. A pensionibus distinguuntur, quia præstimonia non sunt personalia, aut vitalitia, ut pensiones, sed perpetua; unde non extinguuntur per mortem ea habentium, sed per Prælatum Ecclesiasticum aliis transferri possunt. Ita *Anton. à Spir. S. cum Com. Vide num. 501.*

QUÆRES:

1386. An pensio jam collata, possit Princeps im-

ponere Pensionario onus, ut partem pensionis sibi, aut alteri solvat?

Respondeo non posse, si Pensionarius sit Clericus, nisi urgeant, & ad sint conditiones relatæ in impositione gabellæ à num. 807. Constat ex dictis à num. 704. ad 714. Quod est verum, si pensio sit Clericalis, sive laicalis, quia licet fructus sit temporalis, est fructus Clerici, adeoque exemptus.

1387. Si verò pensio sit laicalis, & collata laico, recurrunt dicta à num. 791. ad 797. Illud certum est, non posse ad longum tempus imponere; quia id esset pensiones transferre, & pensiones transferri non posse sine licentia Papæ, decrevit B. Pius V. Const. 73. Sacrosanctum in tom. 2. Bullar. pag. 54. & Urb. VIII. Sanctissimus, in tom. 4. pag. 54.

De Pensionibus agunt Caltrop. part. 2. tract. 13. disp. 1. punct. 11. Fagnanus lib. 1. cap. Cum in cunctis de Elect. à num. 99. ad 105. Cap. Ad Audientiam, de Rescriptis, à num. 136. & lib. 2. cap. Gravis, de Rescriptis. Spoliat. num. 36. Pirhing. lib. 3. tit. 12. Phœbeus lib. 1. tit. 16. à num. 24.

CAPUT V.

DE MONIALIBUS.

1388. **I**n Monasteriis, ubi est præfixus monialium numerus, si augeantur redditus, possunt aliæ admitti juxta eorum incrementum, quia præfixio supponitur facta, ne Monasterium gravetur.

1389. Numerus conversarum juxta mentem Clem. VIII. non debet excedere tertiam partem Choristarum.

1390. Choristæ (minimè conversæ) asserere debent dotem pro sustentatione, quæ debet esse à S. Congr. aut ab Episcopo, consideratis considerandis, taxata.

Debet præfici æqualis pro Civibus, & exteris. S. Congr. 30. Sept. 1616. Non potest Monasterium plus, aut minus taxa recipere, sed plus est restituendum. S. Congr. 2. Maii 1596. Non minus, ne Monasterium gravetur. Non plus, ne simonia committatur. Non prohibetur autem, si aliquid omnino liberaliter pietatis, & virtutis causa extra dotem elargiatur.

1391. Tertia Soror ex S. Congr. 5. Sept. 1604. ducere debet duplicatam dotem, quarta Soror triplicatam, insuper tertia, & quarta carent voce. Sed in hoc attendenda est consuetudo, & praxis.

1392. Dos est solvenda, quando fit professio, minimè prius, ne tollatur puellæ libertas; debet tamen prius apud personam fidellem Monasterio bene visam depositari, pro ejusdem Monasterii securitate. Vide à num. 1107. ad 1111. Idem vide num. 899. & 900.

1393. Novitiæ, si ad sæculum redeat, restituenda sunt omnia utensilia, & bona, quæ pro se secum detulit, & sua sunt. Conc. Trident. sess. 25. cap.

16. Quod si intra Novitiatum moriatur, restituenda sunt hæredibus.

1394. Novitiatum debet esse unius anni integer de momento ad momentum; ita ut, si Novitiæ sine licentia ad brevissimum tempus exeat, animo deserendi Religionem, interrumpatur.

1395. Novitiæ voluntas explorari debet ante professionem; an sit coacta, seducta, & an sciat, quid agat. Trid. sess. 25. cap. 17.

1396. Intra bimestre ante professionem facere debet renuntiationem bonorum, ex Trident. sess. 25. Quæ revocari non potest, nisi per testamentum, si tunc mori contingat. At si è Religione egrediatur, sive ante professionem, sive post, supposita professione invalida, renuntiatio corrui; quia includit virtuale conditionem: Si validam professionem emittat.

1397. Novitiæ, si post primum quadrimestre infirmetur cum periculo mortis, potest ex Indulto B. Pii V. professionem emitte. Potest etiam tunc renuntiationem condere, aut testamentum.

1398. Professio facta ante annum decimum sextum expletum, tam pro viris, quam pro mulieribus, est invalida Conc. Trid. sess. 25. cap. 15.

1399. Mortaliter peccant, & excommunicationem incurunt cogentes mulierem invitam ad ingressum Monasterii ad finem profitendi, vel ad habitum ibi suscipiendum, aut ad professionem emittendam; præterquam in casibus in jure expressis. Quam penam incurunt etiam consentientes, aut quovis modo sic cooperantes ad vim. Pariter peccant, & eandem penam incurunt impediendo ingressum, aut professionem. Conc. Trid. sess. 25. cap. 18.

1400. Vis, & metus injustus cadens in virum constantem, inculsus à parentibus, aut alio homine ad finem ingressus, & professionis, nullam reddit professionem, juxta loca citata num. 1344.

1401. Quod si puella domi sit à parentibus gravibus angustis pressa, & urgentibus minis perterrita, non ad finem ut statum Religionis eligat, sed ex alia causa, & puella Monasterium ingreditur, & proficitur; valida est professio, & libera, ob rationes adductas in locis citatis num. 1344. non obstante gravi metu reverentiali. Ipsi verò parentes, si advertant, puellam inde sumere voluntatem eligendi statum Monasterii, & à favita non desistant, mortaliter peccabunt, & censuram Trid. incurrent, per illa verba: Quomodocumque coegerint.

1402. Item, si vis gravis inculsa ad finem Religionis, & professionis sit justa, valida est professio, & illam incurientes non peccant, ut patet per verba Trident. de num. 1399. Præterquam in casibus in jure expressis.

1403. Tres possunt contingere casus. Primus: Si constet, puellam vorum Religionis emisisse, quod non sit relaxatum; tunc cogi potest ad executionem voti promissis.

1404. Secundus: Si mulier, matrimonio con-

trac-

tracto, post bimestre concessum ad deliberandum de Religione, recuset matrimonium consummare; tunc cogi potest ad utrumlibet, ad consumationem scilicet, vel Religionem.

1405. Tertius: Si ambo conjuges sint jam mutuo consensu Religionem ingressi, & unus professionem emisit, alius verò voluntate mutata, recuset professionem; potest ad illam cogi, ex speciali obligatione, quam liberè assumpsit ad proficendum; qua ratione Clericus, Subdiaconatu libere suscepto, cogi potest ad votum castitatis emittendum, si illud recuset. Vid. dicta in imped. matr. de Voto.

1406. In dubio de vi, & metu professionem invalidante, standum est pro valore professionis, quia professio fiat pro confessione, quæ est certa.

1407. Nota: Si parentes nobiles puellæ proponant, se ob insufficientiam dotis, non valere nubere pari, ut propria conditio exposcit, & hoc, aut motivis similibus, ac veris eidem fideant electionem Religionis, & inde puella Religionem proficitur, valida erit professio; quia non fuit illata vis, sed propositio humana, & honesta veræ convenientiæ status.

Eadem ratione, si puella proficitur ob puram reverentiam partis, aut alterius sui majoris, cui displicere timet, valida est professio; quia non est timor injustus, sed fundatus in reverentia, quæ jure naturæ est parentibus debita; & timor reverentialis professionem invalidans non est, nisi ille, cui sunt graves minæ ab extrinseco inculsæ ad finem extorquendi professionem.

1408. Quod si recentita puella professionem emisit, cum expressa intentione nolendi se ad vota obligare, peccavit mortaliter, & pro tempore sequenti perdurat in continuo peccato mortali, ob continuum onus, quod habet obligandi se ad vota expressè, licet occultum, & voluntate mutata; juxta dicta in imped. matr. de Ordine Sacro.

1409. Monialis transiens de uno in aliud Monasterium, debet novum Novitiatum perficere; quia debet novam professionem emitte: & habilis pro uno, non censetur ad cætera habilis. Sanchez in Sum. lib. 5. cap. 4. num. 12.

1410. Moniales non possunt intra Monasterium Eucharistiam retinere. Ex Trident. sess. 25. cap. 10.

1411. Possunt Corporalia, Agnus Dei, & similia, ut ea componant, & ornamenta tangere.

1412. Non possunt habere otium intra Ecclesiam, per quod possint è Monasterio ad Ecclesiam egredi. Greg. XIII.

1413. Non possunt erigi Confraternitates in Ecclesiis Monialium.

1414. Possunt esse testes in causis criminalibus Monialium; imò duæ sufficiunt ad condemnandum, quamvis duæ mulieres sæculares non sufficerent. Non possunt cogi, ut sint testes in causis sæcularium, nisi quando aliunde veritas constare non possit. Puellæ autem sæculares non sint exemptæ à potestate sæculari fori.

1415. Gaudent privilegiis, & indulgentiis virorum sui Ordinis, quibus sunt capaces. Vide n. 471.

1416. Possunt per Procuratorem tene è infantibus in Baptismo, quamvis non possint Monachi; quia sub ea prohibitionem non comprehenduntur.

1417. Abbatissa eligenda esse debet ætatis annorum quadraginta expletorum, & professionis octo. Quæ si nulla talis in Monasterio reperitur, potest dispensare Prælatus, ut eligatur, quæ trigessimum ætatis annum excedat. Monialis in infirmitate ægrotae suffragium est suscipiendum per disquisitricem. Et servanda sunt dicta de electione à num. 1277.

Suffragia dari debent per scrutinium secretum à Monialibus professis, inter quas non veniunt conversæ. Quantum ad ætatem suffragantium standum est propriis statutis. Scrutinium, datis jam suffragiis, est disquirendum à Præside, & disquisitricibus quoad numerum; an scilicet numerus suffragiorum sit conformis numero Vocantium; quo peracto, scrutinium est publicandum, minimè quoad nomina suffragantium, quia hæc debent esse secreta; sed quoad nomina, quibus sunt suffragia lata; & quoad numerum suffragiorum.

1418. Prælatus Monialium debet electioni præfidere, & suffragia recipere, haud intus clausuram, sed ad Crates.

1419. Potest tamen clausuram ingredi in visitatione, tres secum ducendo socios. Item in casibus magnæ necessitatis, & ad Sacramenta ministranda, secum probum ducendo socium, uti ducere potest Confessarius.

1420. Moniales monendæ sunt, ut saltem semel singulis mensibus comiteantur, & Eucharistiam sumant. Trident. sess. 25. cap. 10.

CONFESSARIUM MONIALIUM

1421. **N**ON sufficit, si sint pro Sæcularibus approbati, sed requiritur, quod in specie sint approbati pro Monialibus. Approbatus pro uno Monasterio, aut pro una Moniali, aut pro una vice, non potest audire confessiones alterius Monasterii, & respectivè alterius Monialis, aut alia vice, deputatione expleta. Clemens X. anno 1670. Superna, §. 2. ut infra de Sacra Pœnit.

1422. Confessarii Monialium, quæ Regularium gubernio subsunt, non solum à propriis Prælatibus, verum etiam debent esse approbati ab Ordinario loci, qui tamen non potest deputare quem vult, sed eorum deputatio, & præsentatio ad ipsos Superiores Regulares spectat, & ab eis per proprias litteras patentes est facienda Greg. XV. Instructibili. Confessarius autem ad triennium à Superiore Regulari deputatus, non potest ab Ordinario limitari ad annum; sed est, vel ad triennium admittendus, vel absolutè rejiciendus. Consta ex Epistola S. C. Epif. & Reg. sub die 4. Maii 1696. Ordinario Catanensi, apud Matthæucci, tom. 1. sub tit. de Confessariis Monialium tenoris sequentis.